



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiæ, 1595**

16. Virtus Dei est ad salutem omni credenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39447**

16. *Virtus Dei est ad salutem omni credenti.*

Euangeli-  
ca prædi-  
cationis  
virtus.

**I**mpegerunt in hunc locū horū temporum  
heretici, eūque in hunc modum peruer-  
tunt; Evangelica prædicatio est instrumen-  
tum salutis efficax & operatorium, quate-  
nus, quum prædicatur, annuntiat promissio-  
nes in verbo, &c. Hinc etiam inferunt, Sa-  
cramenta non aliter operari quā verbum  
prædicatum, nec aliud illa esse quā testifi-  
cationem diuinæ voluntatis erga nos, sicut  
verbi prædicatio testificatur: ideòque Sacra-  
menta esse testimoniū visibile & oculatum,  
verbum autem esse testimonium auritum:  
& vtrumque idem valere fide apprehensum.  
Hinc etiam inferunt, Sacramentum nullum  
esse, cui verbi prædicatio adiuncta non sit:  
denique formam Sacramentorū nostrorum  
nihil aliud esse quā verbum institutionis  
recitatum: postremò, nullam esse aliam in  
Ecclesia remissionem peccatorum quā  
per verbum promissionis prædicatum. Hæc  
illi omnia insanè asserunt propter hoc ver-  
bum Pauli, *Euangelium est virtus Dei ad salutem  
omni credenti*. Sed verborū Pauli sensus germa-  
nus ac genuinus hic est: *Euangelium*, id est, tota  
doctrina & prædicatio Evangelica, quā nos  
Christi Apostoli docemus, *omni credenti*, id est,  
iā credita, & ei qui credit, nō est vana aliqua  
aut historica nōtia, vel de qua debeam eru-  
bescere quā si infamis aut noxia foret, *sed est  
virtus*

*virtus Dei ad salutem*, id est, doctrina potenter salutifera, à Deo reuelata, & ea complectēs quæ ad æternam salutem faciunt. Sicuti *Lex* 1. Cor. 15. est *virtus peccati*, vt idem Apostolus loquitur, quia per occasionem prouocat ad peccandum eum qui sola lege audita gratiã Christi non accepit; sic Euangelium est *virtus Dei ad salutem omni credenti*, quia Deus excitat & adiuuat ad bene iustęque viuendũ eos qui Euangelio credunt: & per prædicationem Euangelicam Deus in cordibus credentium salutem potēter operatur. Sic rursum alibi Apo- 1. Cor. 1. stolus loquitur: *Verbum crucis prædicamus ihs qui salui fiunt, Dei virtutē & Dei sapientiã*. Nēpe quia placuit Deo per stultitiã prædicationis, id est, per prædicationem Crucis, quæ Gētibus stultitia est, saluos facere credentes. Sed sicut Lex ipsa non per se operatur peccatũ, verũ hominũ malitia, quæ magis nititur in veritum; sic Euangelium prædicatum per se non operatur salutem, quum sit, quatenus ex ore prædicantis auditum, medium tantũ externũ credendi, quatenus ipsa diuina veritas ipsius fidei obiectum, & id quod ad salutem credi debet, sed per fidem credentium diuino intus cooperante Spiritu est salutiferum & causa salutis. Denique Euangelium est *Dei virtus ad salutem*, quia per Euangelicam prædicationē, & cum ea extrinsecus sonante, Dei virtus intus in corde salutem operatur, vt *fides sit ex Rom. 10. auditu quidem per verbum Christi prædicatum*,

A 5      *Dei tamen*

Ephes. 1. *Dei tamen donum*, & ex Dei virtute, suorum ministerio cooperante. Et hunc sensum sequentia verba confirmant.

17. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*

**G**ermanus huius loci sensus ad disputationem Apostolicam rectè intelligendam plurimum confert. Est enim ratio & confirmatio superioris sententiæ, qua dixit Apostolus, *Euangelium esse virtutem Dei ad salutem omni credenti*. Hoc quippe ita se habere probat Apostolus, eo quòd in *Euangelio*, id est, in prædicatione Euangelica, ipsa & tota Dei iustitia, *qua videlicet homines iustos facit* (vt D. Augustinus de Spiritu & lit. cap. 9. & 11. Chrysostomus quoque & Theophylactus exponunt,) & à mundo condito iustos semper fecit; quæ ideo Dei dicitur, quia ex Deo & Dei dono, nõ ex viribus humanis est; quæ etiam *ex fide in fidem fit*, id est, à fide incipit, & per fidem incrementum capit, & nunquam sine fide est, quia *iustus ex fide viuit*, vt Chrysostomus & alij Græci appositissimè exponunt, *reuelatur*, id est, omnibus perspicuè manifestatur & prædicatur; quum hætenus nec omnibus Gentibus sed solum Iudæis, nec apertè & copiosè sed obscurè & vmbriticè & parciùs, hæc gratiæ Dei & iustitiæ eius prædicatio & commendatio facta fuerit. Hoc autem subsumptum suum, *iustitiam Dei ex fide*